



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Vniversalis Historiæ Ecclesiasticæ Medvlla**

**Pareus, Daniel**

**Francofurti, 1633**

Novæ Scholasticæ Theologiæ Doctores præcipui hi fuerunt.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64973)

Sequitur Noua Scholastica, i.e. vltima & pessima certe quidem istius Theologiae ætas, quæ post Durandum, circa annum Christi 1330. cœpit ab Hereno de Boio, Britone & Carmelita, illius Cyrilli nebulonis, qui nouum Euangelium scripserat, blasphemio discipulo: & magno Ecclesiæ malo propagata est vsque ad annum Domini 1514. quo primum à Martino Luthero euerri cœpit, & ab iis, qui postea sequuti verum Euangelium docuerunt. Hæc ætas longe fuit impudentissima. Nam quæ modestia in superiori & Media Scholastica adhuc manserat, ne temere de quibusdam ritibus & quæstionibus adhuc dubiis affirmaretur, ista ætate sublata est. Et de rebus etiam abditissimis, & maxime arcanis, immò verò soli ipsi Deo notis, magistraliter affirmari cœptum est. Sic malum malo additum est, vt iam nihil pene ista postrema Scholastica esse potuerit deterius, nisi vniuersa Christiana doctrina funditus euerteretur.

NOVÆ SCHOLASTICÆ THEOLOGICÆ Doctores præcipui hi fuerunt.

**R**obertus Holkoth, Anglus, Ordinis Prædicatorum, Professor Theologiae olim in Academia Oxoniensi celeberrimus, & doctissimus, multa præclara ingenii sui monumenta protulit, & posteris reliquit. Claruit sub Ludouico Bauaro Imp. Peste demum extinctus est, anno 1349. sub Eduardo III. Anglorum Rege. Licet vero eius doctrina non sit omni ex parte

parte sincera, est tamen eruditione non mediocri plerisque; in locis referta: inquit Iohannes Baelæus, in III. Centuria scriptorum Britannicorum.

Gregorius Ariminensis, Ordinis fratrum eremitarum S. Augustini Prior generalis, scripsit super sententias lib. IV. A Scholasticis ad eo tamen dissensit, ut eos asseruerit esse Pelagianis deteriores. Floruit Parisiis circa annum Domini 1350.

M. Marsilius ab Inghe, S. Theologiæ Doctor, atque liberalium Magister præstantissimus, almam Vniuersitatem Heidelbergensem, ingenio, studio, & labore fundando plantauit, & Commentarium edidit in quasdam materias Magistri sententiarum. Mortuus est anno Domini 1396. 20. Aug. & ad D. Petrum sepultus, cum annos ferme nouem Heidelbergæ docuisset, & quintum Rector Academiae fuisset.

Iohannes Capreolus, Ordinis fratrum Prædicatorum, patria Tholosanus, scripsit super sententias lib. IV. Anno 1415.

Petrus de Alliaco, Gersonis Præceptor, Episcopus Cameracensis, vir fuit magni nominis, inter Doctores Scholasticos. Interfuit Concilio Basiliensi. Obiit anno Domini 1425. scripsit Commentarios super sententias, & libellum de emendatione Ecclesiæ.

Iohannes Gerson, Cancellarius Parisiensis, scriptis Theologicis nomen immortale sibi parauit. In Concilio Constantiensi non voce solum

lum coram, sed postea etiam scriptis confirma-  
uit decretum Concilii, quod Papam infra Con-  
cilium & Ecclesiam collocat. Itaque in odium  
offensionemque tantam incurrit, vt à Sorboni-  
stis Lutetia pulsus, propinquisque, amicis, di-  
gnitatibus, & fortunis omnibus spoliatus, Lu-  
gduni in exilio mori coactus sit, Anno 1429.  
12. Iul. ætatis 66. Fuit vir pius ac eruditus, qui  
licet multis Monachorum & Sophistarum er-  
roribus fuerit infectus, multos etiam nihilomi-  
nus errores & abusus Papatus animaduertit,  
eosque & taxauit, & tolli ex animo optauit; vt  
ex eius scriptis non vno in loco apparet. Ali-  
quos tamen, proculdubio metu Phariseorum,  
aut penitus dissimulauit, aut etiam lenius, quam  
tantum virum decuisset, & res ipsa postulasset,  
reprehendit. Cognominatus est Doctor Chri-  
stianissimus. Scripsit quoque librum de defe-  
ctibus Ecclesiasticorum, in quo corruptam spi-  
ritualium vitam accusat. Reprehendit etiam  
doctrinæ corruptelas, quod ali<sup>o</sup> vult esse Tho-  
mista, alius Scotista, alius Occamista. Videat-  
ur Thuanus Hist. lib. CXXXVII.

Ioannes Capistranus, Ordinis S. Francisci  
Monachus, Bernardini Senensis olim discipu-  
lus, à Papa ex Italia in Germaniam missus, An-  
no 1451. passim concionatus est in Morauia,  
Misnia, Silesia, & Polonia. Infestus imprimis  
fuit Bohemis, Hussitis, quos vsum sacri calicis  
impie, nefarieque laicis concedere contendit.  
Populum ad expeditionem in Turcas anima-  
uit: ac ipse vna cum Huniade Mahumetem  
Tur-

Turcarum Imperat. ab obsidione Belgradi repulit: paullo post in Hungaria diem suum obiit, Anno 1456. Videatur Æneas Sylvius, Hist. Bohem. cap. 65.

Iohannes de Turrecremata, Ordinis fratrum Prædicatorum, Episcopus Sabinensis, claruit anno 1460

Nicolaus Cusanus Cardinalis, & Episcopus Brixienfis, floruit anno 1440. Refutauit vanitatem donationis Constantini, & alios Pontificios errores, in libris de Concordia Catholica. Suo seculo, ob literarum cognitionem, propemodum pro miraculo mundi est habitus. Fuit enim Theologus, Rhetor, Mathematicus, & Philosophus insignis. Obiit Romæ anno Domini 1464. ætatis 63. Futuram religionis mutationem ante mundi finem, prædixisse dicitur.

Gabriel Biel, Germanus, Theologus doctissimus, & inter Sententiariorum scriptores præcipuus, in Tubingensi Academia obiit, anno Domini 1495.

Ioannes de Lapide, Cartusianus, doctrinam de realibus Lutetia Basileam attulit, circa annum Christi 1496.

### THEOLOGI ET TESTES veritatis præcipui.

**I**N tanta caligine, nihilominus multi inuenti sunt singulis ætatibus, qui diuinitus oblata luce veritatem perspexerunt, & seruire Pontificis